

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Consilium a  
cum fonte primo

Aduertendum quod  
in acquirendis consiliis plurimum ualet  
uite probitas, uirtutum prerogatiua,  
beniuolencie usus, facilitatis gracia.  
Quis enim in ceno fontem requirat?  
Quis de turbida aqua potum petat?  
Itaque ubi luxuria est,  
ubi intemperancia, ubi uiciorum confusio,  
quis inde sibi aliquid hauriendum existimet?

Quis utilem iudicet cause aliene  
quem uidet inutilem uite sue?

Quomodo enim potero eum iudicare consilio  
superiorem quem uideo moribus inferiorem?  
Supra me debet esse cui me committere paro.  
An eum ydoneum putabo  
qui michi det consilium quod non dedit sibi,  
et michi eum uacare credam qui sibi non uacat  
cuius animum uoluptates occupant,  
libido deuincit, auaricia subiugat,  
cupiditas perturbat?

Ambrosius de officiis libro II.

Aduertimus igitur quod  
in acquirendis consiliis plurimum adiungat  
uitae probitas, uirtutum praerogatiua,  
beneuolentiae usus, facilitatis gracia.  
Quis enim in caeno fontem requirat?  
Quis e turbida aqua potum petat?  
Itaque ubi luxuria est,  
ubi intemperantia, ubi uitiorum confusio,  
quis inde sibi aliquid hauriendum existimet?  
Quis non despiciat morum colluionem?  
Quis utilem causae alienae iudicet  
quem uidet inutilem suae uitae?  
Quis iterum improbum, maleuolum,  
contumeliosum non fugiat et,  
ad nocendum paratum,  
quis non eum omni studio declinet?  
Quis uero quamuis instructum ad consilii opem,  
difficili tamen accessu, ambiat;  
in quo sit illud tamquam  
si qui aquae fontem praecludat?  
Quid enim prodest habere sapientiam,  
si consilium neges?  
Si consulendi intercludas copiam,  
clausisti fontem ut nec aliis influat nec tibi prosit.  
Pulchre autem et de illo conuenit  
qui habens prudentiam,  
commaculat eam uitiorum sordibus,  
eo quod aquae exitum contaminet.  
Degeneres animos uita arguit.  
Quomodo enim potes eum iudicare consilio  
superiorem quem uideas inferiorem moribus?  
Supra me debet esse cui me committere paro.  
An uero eum idoneum putabo  
qui mihi det consilium quod non det sibi,  
et mihi eum uacare credam qui sibi non uacat,  
cuius animum uoluptates occupent,  
libido deuincat, auaritia subiugent,  
cupiditas perturbet, quatiat metus?

Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, 2.12  
(CCSL 15, M. Testard ed., p.119, ll.17-23).